



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

Theopompus. Capvt XX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

Critias.

CAPVT XIX.

Non obseuri quoque nominis inter veteres Sophistas a Critias, qui in graui genere dicendi exercitissimus fuit. Nec tamen grauitatem verbis poeticeis, aut dihyrambis metiebatur, sed vocabulis maximè proprijs, vt natura postulat, concinnabat orationem. Insigni b præterea breuitate, & magna Atticis temperie loquutus, nihil habet insolens, aut ineptu huic Theopompum, licet Platonis, atque etiã Isocratis arate inferiorem, tamen, quia ita cõmiseri solent, subiungemus.

N.N.

a Meminit huius Critia multis in locis Dion. Halicarn. maximè verò in Iseo, ubi numerat eum inter διαγώνισμα σκοπύνας προοικέων, p. 111. edit. Francoforti. b Ab Hermogene indicatur σεμνός & διχημεία προς έκκομι.

Theopompus.

CAPVT XX.

Theopompus hic habet, vt notat Dionys. πολυμορφον τῆς γραφῆς. c Variã & vuiditionis supellestiliẽ, in epist. ad Pompeium. Theopompus contra Longini censuram defensus.

Herodoto, & Thucididi proximus Theopompus, Isocratis discipulus, qui, vt in historia prædictis minor, ita Oratori magis similis. Dictionem habet liquidam, communem, perspicuam, Isocrati haud dissimilem, & vt ait Cicero in Bruto, Philisti, & Thucididis concisis sententijs, interdum etiam non satis apertis, cum breuitate, tũ nimio acumine officit Theopompus, elatione, atq; altitudine orationis suã. Dionys. Longinus mordax Criticus eum irridet, quod vbi dona regi Përfarum, ab Asiaticis oblata commemorat, post stragulam vestẽ, purpuram, tabernacula aurea, peristromata, emblemata, carnes etiam victimarum fallas, regi oblatas, ad alendum exercitum cõmemoret. Debebat, inquit, ista minuta, aut omittete, aut initio collocare, vt à minoribus ad maiora ascenderet: sed in eo frigidus est, & frustra mordax Longinus. Erat enim fidelis historici, & prudentis, post opulenta principum, dona re niorum quoque in colendo rege studiũ cõmemorare, & rem, vt gesta est, describere; quod si tantoperẽ peasonem auersatur, quin Homëum suum numen reprehendit, qui tam simpliciter rem coquinariam à principibus obi-

tam describit, & quid hoc est, nisi μαγείρον, quod infectatur in Theopompo φαντασία est.

Philistus.

CAPVT XXI.

Thucididem quoque consecutus est Syracusius Philistus, doctus homo & diligens, qui cum Dion. tyrãni familiarissimus esset, ouum suum consumpsit in historia scribenda. Cui vt Thucididi amatores defuit, Halicarn in cõτάξιαρ τῆς οἰκονομίας, & δυνασθαρχολογίατορ reprehendit. a Habes hic characterem εφορῶλομ, & πυκνόν, & εὔτονον, & ἐναγῶμιον.

Plato.

CAPVT XXII.

Consurge altius, eloquentia, Platonem vido, qui dicendi maiestate, assurrexit supra id omne, quod humanum est. Is est, in cuius ore mellificarunt apes, cecinerunt Lusciniã, Suada fessitauit. Parum est quod dico, Iupiter si gracè loqui voluisset, Platonis ore loquutus fuisset.

Atque, vt ille in cœli sedens vertice, Deos, Daasque omnes è catena aurea pendentis, ad se nullo negotio, vel reluctantis pertrahit: ita hic profectò quotquot fuerunt oratores, quotquot sentiendi, dicendiq; magistri, sapientia, grauitate, prudentia, & suauitate superauit. Genuis dicendi sublime, excelsum, admirabile; aquilã diceres, quæ supra niues, pluias, & grandines, supra nubes, & tonitrua, & supra id omne, quod mortale est, pënarum remigijs erecta, in illo puriori æthere suspensa conquiescit, & nunc solem defixis intuerur oculis, nunc ad Iouis alludit fulmina. Ratio dicendi facunda, dulcis, amœna, veneribus depluens, flumen lacteũ diceres labi sine murmure, & in tuas aures, in ora, in intima pectora suauires inundare. Salue igitur Heros, quem vulgari ore laudare penè piaculum est; in te, quod in Deorum simulacris, facit eloquentia; quorum vbi capita floribus redimiri non possunt, corona statuitur ad pedes. Tu cum tuarum virtutum maiestate omne fastigium humanum exccleseris, patere tibi extollas istas, & flosculos ad pedes fundi, vel potius nos iube impresso ori digito silere, & mirari, modò tui Aristotelis monumentum hoc habeas.

Βωμόν.